CLAVDII AL-BERII TRIVNCV-RIANI.

DE TERRÆMOTV, ORATIO ANALYTICA:

IN QVA,

HYBORNAE, PAGI, in ditione Illuſtriſſ. Reip. BERNENSIS, ſupra lacum Lemannum, per Terræmotum oppreſſi, Hiſtoria paucis attingitur.

Excudebat Ioannes le Preux.
Anno 1585.

CLAVDII ALBERII TRIVNCVRIANI,

DE TERRAE MOTV, ORATIO Analytica.

CVM eſſet allatũ ad nos de pago HYBORNA in ditione Illuſtriſſ. Reip. BERNENSIS ſupra lacum Lemãnum per Terræmotum oppreſſo: & de Terræmotu illis in locis ſæpius ad hos vſque dies iterato: item de iniquo iudicio, quod quidã maleuoli homines contra Chriſtianã charitatem facere non dubitarunt: ſanè pro eo ac debuimus, grauiter commoti ſumus, AVDITORES: Cúmque hodierno die nobis ex hoc loco dicendũ eſſet more inſtitutóque huius Academiæ, à materia dicendi propoſita, & conſtituta parumper deflectere, & digredi pluribus, iiſque grauibus de cauſſis ne-

ceſſe habuimus. Neque enim ſuſtinere nos potuimus, quin reſponderemus tribus generibus hominum non vnum, ſed diuerſa eáque falſa ſentientium. Vnum genus eſt hominum amentiſſimorum, qui licet cauſas naturales coniunctas non negligant, omnia tamen ſine numine euenire affirmant, quaſi Deus iſta inferiora ſua cura, ſuáque prouidentia minimè dignetur: Secundum genus eſt illorum qui cauſas falſas confingunt, quas Theologia, ſiue prima philoſophia tueri non poſſit. Tertium genus eſt hominum minimè quidem prauorũ, miniméque impiorum, ſed in ſcientiis non ſatis exercitatorum, nempe eorum qui repudiatis omnibus cauſis naturalibus, Vnius Dei, vniúſque Numinis duntaxat mentionem faciẽdam eſſe credũt: quaſi prima philoſophia, ſiue Theologia reliquas ſcientias funditus euertat, ac non potius conſtituat, & ſtabiliat. His igitur de cauſis à materia dicendi conſtituta deflectere neceſſe habuimus, vt de

Terrę-

Terręmotu non ſolùm phyſicè, verũ-
etiam Theologicè diceremus. Neq;
hac oratione phyſica, & Theologica
DE TERRÆMOTV, quicquam
gratius, vtilius, aut commodiùs hoc
tempore afferri poſſe duximus. Nam
cùm Terræmotus inſoliti ſuperiori-
bus diebus facti, & ſæpius iterati in
ſermonibus quotidianis mentio inii-
ciatur: cúmque multi multa commi-
niſcantur, & temerè aſſerant: non du
bito quin vobis pergratũ, pérque iu-
cũdum futurum ſit, ſi ea quæ de Ter-
ræmotuum cauſis ſentienda ſunt, tũ
ex ſcientia naturali, tum etiam ex
Theologia depromta, in medium af
feram, & ea vobis breuiter, diluci-
déque exponam.

QVANDOQVIDEM igitur
DE TERRAEMOTV tum Phy
ſicè, tum etiam Theologicè dicere
conſtituimus, ante omnia ſtatuendũ
eſt, Phyſicéne priùs, an Theologicè
de Terræmotu dicẽdum ſit. Cùm e-
nim res naturales ſint nobis notio-
res, quàm Diuinæ: Cauſæ quoque na-

turales videntur eſſe notiores quàm diuinæ & Metaphyſicæ. Sed cũ Deus opt. max. ſit prima cauſa efficiens, idémque ſit finis extremus omnium rerum: & vt verbis Ioannis vtar, A & Ω: nemini mirum videatur, ſi à diuinis rationibus exordiamur, & rurſus diuinis rationibus orationem hanc concludamus. A Deo principiũ, Dei ſunt omnia plena. Deus prima: Deus ſumma nobis dicendus eſt camœna. Niſi enim ſit Deus, reliqua eſſe nequeunt. Idem etiam eſt Finis extremus omnium. Nam omnia Deo ſubiicientur. Poſtquam enim Chriſto ſubiecta fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubiicietur ei qui ſubiecit ipſi o-
1. Corint. cap. 15. v. 28. mnia, vt Deus ſit omnia in omnibus. Quo fit vt Theologus reddat rationem Notionum anticipatarum, cauſarum, & principiorũ omnium quæcunque illa ſint. Quemadmodum enim niſi ſit Deus, reliqua eſſe nequeunt: ita etiam, niſi ſit Theologia, reliquæ ſcientiæ conſtare nequeunt. Cùm igitur non ſolùm Phyſicè, verum e-

rumetiam Metaphyſicè de Terræmotu dicēdum ſit, à primo actu, hoc eſt, ab ipſo Deo incipiēdum eſt. Deũ eſſe primam & ſummam cauſam efficientem intelligimus ex eo quòd ΕΝΕΡΓΕΙΑ poteſtatem antecedat omnibus modis: RATIONE, NATVRA, TEMPORE. Sic enim Ariſtoteles lib. Θ. primæ philoſophiæ: τοῦ χρόνου ἀεὶ προλαμβάνει ἐνέργεια ἑτέρα πρὸ ἑτέρας ἕως τῆς τοῦ κινοῦντος ἀεὶ πρώτως. id eſt: Energia vna ſemper anteuertit alteram, vſque ad Energiam ſiue Actum illius qui primò mouet. Quinetiam, licet Deum primo orbi mobili non addicamus: nihilominus tamẽ omnes Energias ſiue omnes Actus, omnémque poteſtatem neceſſariò Deus anteuertet. Nam Dei propria & intima ἐνέργεια eſt illa, qua ſeipſum intelligit. Αὐτὸν ἄρα νοεῖ, καὶ ἔστιν ἡ νόησις νοήσεως νόησις. id eſt: Ipſe ſe intelligit, éſtque intellectio intellectionis intellectio: inquit Ariſtoteles. Hæc autem ΕΝΕΡΓΕΙΑ æterna eſt, neque habet vllum initium:

quia nihil aliud eſt quàm ipſe Deus; Pater,Filius, qui eſt Sapientia patris, & Spiritus ſanctus. Sic Ioannes ait Sermonem fuiſſe apud Deum in principio, & ante res omnes creatas: ac proinde Sermonem eſſe Deum. Cũ enim in Deo nulla ſint accidentia, nulla materia, nulla conditio cõtradictionis, quæ *δυνάμις ἀντιφάσεως* Ariſtoteli,& in hiſtoria Iobi *Tahola* dicitur: fieri nequit, quin illud quod ante res omnes creatas erat apud Deum,ſit Deus. Huiuſmodi eſt interior Energia Dei,quæ nihil aliud eſt quàm Deus, vt dictum eſt. Itaque ſiquis quærat ex nobis, quidnam ageret Deus ante conditum mundum: reſpondebimus Deum intellexiſſe ſeipſum,vt etiam intelligit, & intelliget ſemper: *ἦν ἐςι, καὶ ἔςαι νόησις νοήσεως νόησις* id eſt: Fuit, Eſt, Erit intellectio intellectionis intellectio. His tribus temporibus deſignantur Energiæ perfectiſſimæ & abſolutiſſimę,vt in prima philoſophia demonſtratũ eſt. Altera eſt *Ἐνέργεια* extima,per quã

Deus

Deus creauit omnia:per quam regit & nouit etiam res ſingulas: per quam nihil eſt tam magnum,quod Deus efficere non poſſit:per quam vocat EA QVAE NON SVNT, VT EA QVAE SVNT ABOLEAT.Hęc Energia non eſſet,niſi illa Intima eſſet. Differt autem ab Energiis Angelorum,& cæterarum rerum cõditarum ea ratione, qua Deus differt ab omnibus naturis conditis.Sic magi Pharaonis non potuerũt illa omnia efficere, quæ Deus per Moſem & Aaronem effecit, nempe quia Dei Energiæ etiam extimæ à vi immenſa & infinita proficiſcuntur.Hanc Energiam extimam ab illa intima ſic diſtinguit Ariſtoteles, vt intimam illam Energiam, qua Deus ſeipſum intelligit & ſeipſo contentus eſt, Εργον, hoc eſt primarium & proprium Dei munus eſſe dicat: hãc autem extimam eſſe quaſi ſecundarium Dei munus,quo Deus fungitur intelligẽdo ὡς ἐν παρέργῳ. Sic apud Iobum, Energia Dei, qua condidit res omnes, & qua nouit Abrahamum,

1.ad Cor. ca.1.v.28.

Iſaacum, Iobum, qua regit & gubernat res cunctas & ſingulas, dicitur extremitas viarum Dei. Qui Aquilonem, inquit Iobus, extendit ſuper inane, & terram ſuſpendit ſuper nihilum. Qui cohibet aquas in ſuis nubibus, neq; nubes rumpitur ab eis. Qui conſtruxit faciem ſolii, ſuper quod expandit nubem ſuam. Terminum conſtituit aquis, dum conſummentur lux cum tenebris. Columnæ cæli concutiuntur & ſtupefiunt ab illius increpatione. Sua potentia ſcindit mare, & intelligentia ſua compeſcit eius ferociam: ſuóque ſpiritu adornauit cęlos. Atque iſta duntaxat ſunt EXTREMA VIARVM EIVS. & quantulam portionem audiuimus de iſto negotio? Quis autem tonitru potentiæ illius cognoſceret? Ergo, quādoquidem Deo nihil maius, nihil præſtantius, nihil melius, Energia illa intima, qua Deus ipſe ſe intelligit, erit primaria, adeóque nihil aliud erit quàm ipſe Deus: Extima autem hæc Energia, qua Deus creat, & regit res

Iob. cap. 26.

cunctas

cunctas & ſingulas, erit ſecundaria, & eiuſmodi propter quam Deus ὡς ἐν παρέργῳ intelligere dicatur, ſi intellectio hæc cum altera illa primaria intellectione comparetur. Nos verò, quia SENSUS noſter, SCIENTIA noſtra: OPINIO, & COGITATIO noſtra ſunt ſemper alterius cuiuſdã diuerſi à nobis qui ſentimus, ſcimus, opinamur, & cogitamus, (niſi quum Animus ipſe de ſe cogitat, quo quidẽ munere fungitur interdũ ἐν παρέργῳ.) exiſtimamus quoque intellectionẽ Dei primariam ſemper eſſe alterius diuerſi à Deo: quæ ſententia falſiſſima eſt. Sic enim Sapientia Dei, & Spiritus Dei non fuiſſent apud Deum ante res omnes creatas, quod eſt abſurdiſſimum. Hæc quum ita ſint, perſpicuum eſt Deũ eſſe Cauſam PRINCIPEM EFFICIENTEM omnium rerum: ac propterea Deum non ſolũ adhibitis cauſis naturalibus, Verum etiam abſque cauſis naturalibus proximis & coniunctis poſſe efficere quicquid voluerit. Quo pacto quæſo

mundum & naturam ipſam Deus cõdiderit, ſi nihil abſque cauſis naturalibus efficere poſſit? Neque enim ante Naturam cauſæ naturales extiterunt. Vtitur quoque Deus cauſis naturalibus quoties libet. Nam & cauſas Naturales condidit. Verbi gratiâ: Vtitur ventis in cauernis terræ recõditis ad terram conquaſſandam, vt infra dicemus. Et ſæpe adhibet ventos ad illa efficienda, quorum venti non ſunt cauſæ Naturales & ſolitæ.

Exod. ca. 14. Extendit Moſes manum ſuam ſuper mare per Orientalem ventum vehemẽtem tota illa nocte, & fecit vt mare eſſet ſiccum, & diſciſſæ ſunt aquæ. Sic Dominus vſus eſt ventis ad im-

Num. capite 11. mittendas coturnices. Et profectus eſt ventus à Domino, qui abripiens coturnices à mari, diſiecit eas ad caſtra circumquaque ſpatio itineris diurni, fere duobus cubitis in altitudine terrę. Sic Dominus vſus eſt quaſi vento & flatu violento ad id effi-

Act. cap. 2. ver. 2. ciendum, quod facere conſtituerat die Pentecoſtes. Tum extitit repentè, in-

tè,inquit Lucas, è cęlo ſonitus tanq̃ ruẽtis flatus violẽti,qui repleuit totã domũ,vbi erant ſedẽtes, & viſæ ſunt eis diſpertitæ linguæ inſtar ignis,qui etiam ſedit ſuper vnumquemq; eorum. Quinetiam Deus opt.max.vtitur rebus conditis etiam naturâ ineptis ad efficiendum quicquid voluerit. Sic aſina Bileam loquuta eſt, vt teſtatur Moſes. Angel⁹ Domini perrexit, inquit, & in loco anguſto ſtetit,vt nulla eſſet via declinandi neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram.Cernens igitur aſina Angelum Domini, ſuccubuit ſub Bileam, & iratus Bileã virga percuſſit aſinam.Et aperuit Dominus os aſinæ, & dixit ad Bileam. Quid feci tibi quod me iam ter verberaſti?& ait Bileã ad aſinam. Quod mihi illudis. Si gladium haberem , iã te interficerem. & ait aſina ad Bileã. An non ego ſum aſina tua;qua veheris à præcedenti tempore ad hodiernum vſque diem? Num tale quippiã facere tibi ſolita ſum?Denique nihil eſt tam admirabile, nihil tam inſoli-

Num. capite 22,

tum,quod Deus efficere non poſſit. Idcirco etiam Homerus,Heſiodus & cæteri poëtæ Ethnici ψευδοθεόλογοι nihil non tribuunt Numini. Sed pleraque omnia ſunt falſa,& pugnantia, quantumuis licet ficta illa cohærere videantur. Errant enim tum in SVBIECTO,(quod quidem ſubiectum in Theologia eſt Deus & Homo, vt aliis in locis demonſtratum eſt) tum etiam in ATTRIBVTIS, itémque in Attributorum hiſtoria & cohærentia. Verbi gratia: Fingunt Iouem impurum & impium neſcio quem eſſe Deum ſummum, cui vim ſummam & immenſam tribuunt. Ponunt Martem, Mercuriũ, Iunonem, Venerem, Neptunum, & alia eiuſmodi Subiecta σαπρὰ, quibus Attributa illa, quæ Deo propriè conueniunt, nullo modo, nulláque ratione conuenire poſſunt. Quod attinet ad cohærentiam & hiſtoriæ veritatem, licet in ſpeciẽ cohærentia ineſſe videatur: non poteſt fieri tamẽ quin ſint falſa illa quæ Pſeudotheologi illi deſcribũt,& tradunt:

dunt:quandoquidem Subiecta, vt dixi, ſunt falſa & *σαϑρά*, quibus Attributa minimè conueniunt. Itaque ſcripta illa ſunt *ægri ſomnia*, in quibus *vanæ finguntur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ.* At in Theologia vera, hoc eſt, in vtroque Teſtamento, VERITAS ET PERPETVA COHAERENTIA conſtantiſſimè diiudicantur ab omni falſitate adhibito inſtrumento *ἐξ ἀντικειμένων*: vt in Oratione Apodictica DE FIDE CHRISTIANA diximus. Et quoniam Deus etiam ſine cauſis naturalibus poteſt efficere quidlibet: (iuſſit, inquit Propheta, & factum eſt. Dixit Deus: Sit Lux. & fuit Lux.) quoniam etiam idem cauſis naturalibus vti poteſt ad res ſolito, & inſolito more: hoc eſt, ordinariè & extra ordinem efficiendas: perſpicuum eſt Theologum poſſe etiam reddere rationem cauſarum & principiorum Naturalium. Sic apud Iobum Cap. 38. Deus pronuntiat ſe eſſe principium & cauſam ſummam efficientẽ prin-

cipiorum & cauſarum Naturalium his verbis:Habétne parẽtem pluuia? aut quis genuit guttas roris? è cuius ventre egreſſa eſt glacies? & quis genuit pluuiam cæli? Aquę in ſpeciem lapidis vertuntur,& ſuperficies abyſſi conſtringitur gelu. Num vinculis colligabis Pleiades? aut cohærentes ſtellas Cynoſuræ diſiunges? Túne- Hyades ſuo tẽpore produces, & reges Arcturum cum ſuis filiis? SCISNE LEGES CAELI? aut dominium eius terræ imponis? Clamabíſne ad nubem alta voce,ita vt aquarum inundatio te operiat? Túne fulgura emittes, vt eant, ac tibi dicant: Ecce adſum⁹? QVIS INDIDIT RENIBVS SAPIENTIAM? AVT QVIS INDIDIT CORDI INTELLIGENTIAM? QVIS SAPIENTIA SVA AETHERI DICTABIT QVAE FACIAT? Sunt & alia permulta eodẽ in lib. ex quibus perſpicuũ fit ſubiecta & facultates omnes naturales:omnia deniq; principia eſſe à Deo opt. max. Sic etiam principia *μετεώρων*, & ſublimiũ illo-

illorum,quæ vocãtur, vt ventorum, pluuiarum,& aliorum eiuſmodi effe ctorum Naturalium,à Deo exiſtunt. Quanuis enim orbis quidam,& circulus generationis in quibuſdam cer natur, propter quem videntur propemodum non habere principium: (Verbi causâ : Madefacta ,& perfuſa terra vapores à Sole excitantur. Vaporibus excitatis nubes fiunt. Nubibus factis pluit. Vbi pluit, madefit terra,& perfunditur. Rurſus identidem madefacta & perfuſa terra, vapores à Sole excitantur. Vaporibus excitatis nubes fiunt,&c.)tamẽ Deus eſt principium ſummũ EFFICIENS GVBERNANS,& MANDANS iſta omnia. Mandauit cælo de Vaporibus excitandis, vt legimus capite ſecundo libri Moſis DE ORTV vniuerſitatis. Sic apud Iobũ, Deus apertè pronunciat SE SCIRE LEGES CAELI, & SE DOMINIVM CAELI, TERRAE IMPOSVISSE. Ergo principia illa omnia, quorum Anticipatas notiones in ſingulis ſcientiis habere o-

portet, exiſtũt à Deo opt. max. qui eſt principiũ principiorũ. Principia quidem Naturalia eſſe Phyſicus ponit: quia Anticipatas Notiones ſcientiæ naturalis non probat rationibus & cauſis ſuperioribus. At Theologus omnia probat, facta mentione Dei. Verbi gratia: Axiomata Phyſica, Cauſas & facultates naturales confirmat, & omnium rationem reddit facta mentione Dei. Proinde non ſunt audiendi, qui cauſarum naturalium nullam volunt fieri mentionem, quíque Atheos vocant omnes illos, quicunque rationes petunt ex cauſis Naturalibus. Si quæras ex Medico rationes *αἱματώσεως*, id eſt, procreationis ſanguinis: reſpondebit ille, Succum cum quo alimur, ex inteſtinis & Ventriculo ſecretum à reliquo cibo peruenire vſq; ad portas iecoris per tenues meſenterii venas: eũdem ſuccũ rurſus in iecore retineri propter venarum in iecore diſperſarum exilitatem: ob hanc moram in iecore perfectè concoqui, & perfectam expreſ-
ſam-

ſamque ſanguinis ſpeciem aſſequi. Ergo Medicus ponet IECVR ESSE: item ESSE TENVES MESENTERII VENAS: Item IECVR eſſe prẹditum facultatibus RETINENDI, CONCOQVENDI, & MVTANDI IN SANGVINEM. Atque iſtæ erũt Anticipatæ notiones, quarum rationem non reddet Medicus. At Theologus reddet rationem ex PRIMA CAVSA EFFICIENTE, nẽpe ex DEO: & ex FINE, quem ſibi Deus propoſuit. Sic nonnulli etiam Ethnici Philoſophi MENTEM illam primam, nempe Deum dixerunt eſſe PRIMAM CAVSAM EFFICIENTEM omniũ rerum. Sic Galenus libro ſeptimo De vſu partium. cap. xv. quum explicat admirabilem neruorum Laryngis metam, vnde curſus reflectitur, compellente veritate CAVSAM PRIMAM EFFICIENTEM, Deum videlicet agnoſcit & laudat his verbis. Equidem (inquit Galenus) ne laudare quidẽ ſatis pro merito poſſum eius ſapientiam ac potentiam, qui ani

malia fabricatus eſt. Nam eiuſmodi opera, non laudibus modò verumetiam hymnis ſunt maiora, quæ prius quam inſpexiſſemus quidem, fieri nō poſſe perſuaſum habebamus: conſpicati verò, falſos nos opinione fuiſſe comperimus, potiſſimum quando ſine magno negotio, atque apparatu conditor noſtri vno vſus inſtrumento, eóque perexiguo inculpatū prorſus ac perfectum opus effecerit. Sed idem Galenus vanus factus eſt in ſuis ratiocinationibus, neque ſibi cōſtat in agnitione potentiæ Dei immenſæ. Nam libro vndecimo De vſu parrium. Cap. xiiij. Deum nihil agere ſine cauſis naturalibus, proximis & coniunctis affirmat his verbis. Oculorum, inquit, pilis acſuperciliorum ſiquid addideris, aut abſtuleris, illorum vtilitatem corrumpas. Num igitur noſtri opifex ſolis his pilis æqualem ſemper ſeruare magnitudinem præſcripſit, hi autem ſiue imperium præſcribentis metuentes, ſiue Deum ipſum præcipientem reueriti, ſiue

ſiue faciendum id eſſe perſuaſi, obſeruant id vt mandatum ſibi fuerat? Certè Moſes quidem ita de natura ratiocinabatur, cuius ratio, quàm Epicuri, mihi videtur probabilior. Optimum tamen eſt, neutrius rationem ſequì: ſed potius generationis principium, quod à creatore ducitur, quomodo Moſes, in omnibus generalibus ſeruantes quod ad materiam attinet, ei adiicere. Ob eam enim cauſam CONDITOR noſtri æqualem ſemper magnitudinem ſeruandi neceſſitatem ipſis impoſuit: quod id ad rem pertinere magis videbatur. Poſtea verò quàm eiuſmodi efficere pilos conſtituit, his quidem durum corpus, inſtar cartilaginis quibuſdam ſubiecit, aliis autem cutem duram cartilagini per ſupercilia connexam. Non enim ſat erat eos duntaxat velle tales eſſe. Neque enim ſi lapidem repentè velit facere hominem, id efficere poterit. Atque id eſt, inquit Galenus, in quo ratio noſtra, ac Platonis, tum aliorum qui apud Græcos de rerum

natura rectè conſcripſerunt, à Moſe diſſidet. Satis enim habet is, ſi Deus materiam exornare velit, ea autem repente paret, atque exornata eſt, OMNIA ENIM DEVM FACERE POSSE arbitratur, etiamſi ex cineribus hominem aut equum facere velit. Nos autem non ita ſentimus: ſed confirmamus quædam naturam facere non poſſe, eáque Deum ne aggredi quidem omnino, ſed ex iis quæ facere poteſt, quod melius eſt, eligere. Hæc Galenus impiè, ineruditè, & ἀθεολόγως de Deo opt. max. ſcriptis mandauit. Itáne verò, Galene, obtenebratum eſt deſipiens cor tuum, vt POTENTIAM DEI mancam, & mutilam nobis proponas? Sic enim ſtatuis Deum non poſſe quicquam agere, ſine cauſis naturalibus proximis & coniunctis. MOSES, inquis, OMNIA DEVM facere poſſe arbitratur, etiamſi ex cineribus hominem aut equum facere velit. Rectè, Galene, & Theologicè Moſes de Deo ſentit & ſcribit, quum paſſim teſtatur

DEum,

Deum, quicquid voluerit, facere poſſe, etiamſi ex lapidibus hominem facere velit. Demonſtratum eſt ſupra Nullam eſſe cauſam Naturalem, cæleſtem, aut aliam quamcunque Energiam, quæ non ſit tempore & ortu poſterior ENERGIA illa prima immenſa & infinita, quæ eſt Deus in ſæcula benedictus. Iam quæro ex te, Galene, Cum cæteræ cauſæ in rerum natura habeant ortum, hoc eſt, Cùm ſint tempore & ortu poſteriores ENERGIA illa prima quæ eſt DEVS BENEDICTVS, à quónam exiſtent reliqua omnia tam aſpectabilia, quã inuiſibilia? Si à ſeipſis exiſtere dicas, errorem tuum facilè conuincemus. Deus enim non erit PRINCIPIVM ſummum, & CAVSA PRIMA EFFICIENS. Sin temerè extitiſſe dicas: tibi ipſe non conſtabis. Nam in libris De vſu partium, conditorem & opificẽ ſummũ agnoſcis, cuius opera nõ ſolũ laudibus, verumetiã hymnis maiora eſſe fateris. Ergo ENERGIA ILLA PRIMA, nempe Deus benedi-

ctus in principio condididit omnia, indidit vires, ſiue facultates, & impoſuit LEGES CAELO & TERRAE, At verò quo pacto condidit? quo pacto indidit vires & facultates? An ſemper præſto adfuerunt cauſæ naturales & coniunctæ? Apage iſta deliria. Nunquam enim liceret ad illũ DOMINVM VNVM, hoc eſt ad DEVM peruenire. Semper occurreret πολυκοιρανίη, hoc eſt dominatus multarum cauſarum. Atqui, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. id eſt: dominatus plurium non eſt bonus. Vnus eſto dominus. Sed miſſum faciamus Galenum: (Neque enim Galenus fuit Metaphyſicus ſiue Theologus:) tandémque ſtatuamus cum Moſe, Iobo, Prophetis, Apoſtolis, hoc eſt cum veris Theologis: Dei opt. max. vtramque ENERGIAM, tam INTIMAM, quàm EXTIMAM eſſe infinitam: Ac INTIMAM quidẽ eſſe infinitam quoad eſſentiã (Nam INTIMA ENERGIA DEI nihil aliud eſt quàm Deus ipſe, cuius eſſentia infi-

tia infinita eſt:) EXTIMAM autẽ Dei ENERGIAM eſſe immenſam & infinitã, quod ad Vim & Potentiã attinet, quã Paulus ad Epheſ. *ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ* appellat. Sic ex nihilo poteſt creare. Sic vocat ea quę nõ ſunt, vt ea quę ſunt aboleat. Sic apetuit os aſinę Bileã. Sic Deus piſcem magnum preparauerat, qui abſorberet Ionam. Sic eidem piſci Dominus mandauit, & euomuit Ionã in aridã. Sic excitat è mortuis, è puluere, & ex cineribus. Sic Chriſtus edidit miracula. Sic per fidem, illi qui credunt in Deum, poſſunt transferre montes, vt in Euãgelio legimus. Denique, quẽadmodum Numerus non poteſt eſſe, quin ſint PAR, IMPAR: ita etiã Deus non poteſt èſſe, quin ſit VTRAQVE ENERGIA talis, qualem ſupra deſcripſimus. Ex iis, quæ adhuc diximus, nullo negotio intelligimus Theologum reddere certiſſimas rationes principiorum, cauſarum, & Anticipatarum Notionum omnium. Sic Iobus & amici Iobi: Sic Solomõ Theo-

logicè diſſerunt non ſolùm de rebus Naturalibus, verumetiam de Politicis. Nam prudentia ciuilis etiam SAPIENTIAE, hoc eſt, THEOLOGIÆ ancillatur. Deus enim, ſiue, coniunctio & communio cum Deo eſt ſummum & extremum hominis bonum, vt aliis in locis demonſtratum eſt. Sic Ariſtoteles lib. 6. De Moribus, cap. 13. At verò, inquit, neque prudentia in ſapientiam dominatur, neque animi particulæ melioris habitus eſt: quemadmodũ neque medicina bonæ valetudinis principatum habet. Non enim ea vtitur, ſed vt exiſtat & adſit, operam dat. Illius igitur cauſa præcipit atque imperat, non illi. Pręterea ſub PRVDENTIÆ imperio SAPIENTIAM eſſe dicere, ſimile eſt, vt ſiquis dicat Scientiã ciuilem Diis immortalibus præeſſe, quia omnia inſtituat ac pręcipiat, quę ſunt in ciuitate.

Et quoniam cauſæ omnes & principia omnia ſingularum ſcientiarum & doctrinarum, THEOLOGIÆ, ſiue, SAPIENTIÆ ſubiiciuntur: Cúmque

SPIRI-

SPIRITVS, ſiue VENTVS dicatur eſſe cauſa proxima Terręmotus: perſpicuum eſt cauſam hanc THEOLOGIÆ eſſe ſubiiciendam. Subiiciemus Theolpgiæ, ſi demõſtremus Deum, quum vtitur cauſa naturali ad Terręmotum efficiendum, ſolere VENTO vti. Eſtò igitur Phyſicum axioma huiuſmodi. MOLES grauiſſima nonniſi à corpore naturali, mouendi vim maximam habẽte, mouetur. ſiue CORPVS ILLVD, quod eſt κινητικώτατον ἁπάντων, quod omnium maximã mouendi vim habet, poteſt mouere & cõquaſſare molem grauiſſimam, ſeu corpus grauiſſimum. VENTVS eſt corpus κινητικώτατον ἁπάντων. & TERRA eſt corpus omnium grauiſſimũ. Quare ex cauſis naturalibus, VENTVS eſt cauſa accommodatiſſima ad conquaſſandam terram. Proinde CAVSA διότι Terræmotus eſt VENTVS vehementior in terræcauernis reciprocans, & quærens exitũ. Quod ſi effecti alicuius in Natura non eſſet cauſa proxima Naturalis: ſiquidem

Effectum illud exiſteret abſque illa cauſa proxima naturali & coniuncta: profecto DEI VERBVM, ſiue MANDATVM, ſiue IVSSVM eſſet cauſa διότι in Theologia. Neque hoc mirum cuiquam videri debet. Nam DEI VERBVM eſt cauſa cauſarum & principiorum omnium. VENTVM eſſe corpus κινητικώτατον, fatentur omnes. Sic Virgilius ventos eſſe κινητικωτάτους ſignificat his verbis.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circū clauſtra fremūt: celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenēs: mollitq; animos, et tēperat iras.
Ni faciat maria ac terras, cælūmq; profundū
Quippe ferant rapidi ſecū verrāt q; per auras.

Sic etiam Lucretius libro ſexto de Rerum Natura Ventorum vim illam κινητικωτάτην eleganter deſcribit his verſibus.

Ventus vbi atque animæ ſubitò vis maxima quædam,
Aut extrinſecus, aut ipſa tellure coorta
In loca ſe caua terrai coniecit, ibique
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu,
Verſabundaq; portatur poſt incita cum Vis
Exagitata foras erumpitur, & ſimul altam
Diffindens terram magnum cōcinnat hiatū.

In Sy-

In Syria Sidone quod accidit,& fuit Aegis
In Peloponneſo,quas exitus hic animai
Diſturbans vrbes,& terræmotus obortus.
Multaq; præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris,& multa per mare peſſum
Subſedere ſuis pariter cum ciuibus vrbes.
Quod niſi prorūpit,tamē impetus ipſe animai
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Diſpertitur,vt horror,& incutit inde tremorē.

Sic etiam ſacræ literæ teſtantur ventos omnium corporum maximā habere vim mouendi, quum Angelos ventis ſimiles,& ventos nunciis Dei ſimiles eſſe apertè ſignificant. Qui Angelos ſuos, inquit Propheta,facit ſpiritus,& miniſtros ſuos,ignis flammam. Sic Chriſtus etiam vim venti declarat his verbis: VENTVS QVO VVLT SPIRAT, & ſonum eius audis,ſed neſcis vnde veniat, & quò vadat. Sic Deus adhibuit ventum orientalem vt efficeret mare ſiccum,& vt diſcinderentur aquæ.& extendit Moſes manum ſuam ſuper mare, & Dominus effecit,vt decurreret mare per Orientalē ventum vehementem tota illa nocte,& fecit mare vt eſſet ſic-

Ad Heb. cap.1:v.7.

Ioh. cap. 3.v.8.

Exod.ca. 14.

cum, & diſciſſæ ſunt aquæ & ingreſſi ſunt filii Iſrael in medium maris in ſicco, & aquæ fuerunt illis murus à dextra eorum, & à ſiniſtra eorum. Ariſtoteles affert ſigna aliquot, ex quibus perſpicuum fit nobis, VENTVM eſſe cauſam proximam Terræmotus. In quibuſdam locis, inquit Ariſtoteles, Terræmotus non ante deſiit, quàm ventus, qui Terræmotus cauſa fuerat, eruptione perſpicuè factâ prodiiſſet procellæ inſtar, vt ad Heracleã Ponti factum eſt. Et antea in Hiera inſula, quæ vna eſt ex Aeoli inſulis. In hac enim terræ pars quædã intumuit, & in tumuli, ſiue collis ſpeciem cum ſono & fragore quodam excitata eſt: tandémque tumulo illo rupto ventus vehemens erupit, qui ſcintillas, cinerémque ſecum rapuit, Liparámque vrbem, quæ haud procul aberat, in cineres redegit. Sic etiã hoc anno quarto, ab initio Terræmotus, die, rupta eſt pars montis cuiuſdã à pago Hyborna itinere trium horarum diſtantis, vnde ventus vehemẽs erupit,

erupit, qui ſaxa, glebas, arbores ſecum rapuit, quibus, ſuperante etiam colle interiecto, pagus tandem oppreſſus eſt, & obrutus. Ergo eruptio eiuſmodi venti vehementis, eſt ſignum cauſæ Terræmotus. Deinde exauditur ſonus, adeò vt interdum terra mugire videatur, qui quidem ſonus nonniſi à vento in cauernis terræ recondito exiſtere poteſt: præterea paulò ante Terræmotum ſol caliginoſus eſſe ſolet, quia venti, qui purgant aërem, in cauernas terræ cõceſſerunt. Sic paulò ante Terræmotum ſuperioribus diebus factum viſi ſunt Parelii. Præterea ventum eſſe cauſam proximam Terræmotus, ex eo etiam intelligimus, quod ante Terræmotum nubecula quædam cõſpiciatur tenuis & in longum porrecta: nempe quia venti abſunt, qui diſpergant & diſſipent nubeculam. Nã venti in cauernas terræ cõceſſerunt. Sic ante Terræmotum huius anni, viſa eſt quaſi flamma tenuis in longũ porrecta, quæ paulò ſupra terram ſu-

bitò impulſa eſt à vento extremo in terræ partes interiores concedente: Præterea, quod Terræmotus nonnulli in lunæ defectibus fiant, ſignum eſt cauſæ. Nam in lunæ defectibus, venti in loca concaua terra retrocedunt. Neque enim ſurſum attrahuntur exhalationes remiſſo calore propter ipſum lunę defectum. Quinetiã CONSTITVTIO aëris: TEMPORA ipſa, nẽpe VER, & AVTVMNVS: LOCA ipſa in quibus Terræmotus fieri ſolent, ſatis declarant VENTVM eſſe cauſam Terræmotus. Nam maximi Terræmotus tranquillo cælo ſolent fieri: & qui interdiu fiũt, meridie exoriuntur, quòd ea pars diei ſit omniũ diei partium tranquilliſſima. Propterea autem trãquillum eſt cælum, quia venti conceſſerunt in terrę partes interiores. Sic Terræmotus huius anni, meridie & tranquillo cælo primò factus eſt. Item VERE, & AVTVMNO Terræmotus maximè exoriri ſolent, eò quod his præſertim temporibus in ipſis terrę cauernis ventorum ma-

torum magna vis exiſtere ſoleat. Denique maximi Terræmotus fieri ſolent in iis locis, in quibus mare fluctuat, & in quibus ſunt cauernæ & ſpeluncæ, aut terra rara eſt, multóſq; meatus habet. Sunt enim iſta *loca fœta furentibus Auſtris:* vt loquitur poëta. Ob id etiam Aegyptum nũquam tremuiſſe aiunt, quod Aegyptus ex limo tota concreuerit. Sed mouetur & Ægyptus, & Delos, quam Virgilius ſtare iuſſit,

Immotámque coli dedit & contemnere ventos. Hanc philoſophi quoque, inquit Seneca, credula natio dixerunt non moueri, autore Pindaro. Thucidides ait antea quidem immotam fuiſſe, ſed circa Peloponneſiacum bellum tremuiſſe. Calliſthenes & alio tempore ait hoc accidiſſe. Hæc Seneca libro ſexto Naturaliũ Quæſtionum cap. 26. Nos, qui Deum, etiam abſque cauſis naturalibus proximis & coniunctis quicquid voluerit in cælo & in terra perficere poſſe ſcimus, quin Ægyptum, & loca alia,

Seneca Natural. Quæſt. lib. 6. ca. 26.

quęcunque immota adhuc viſa ſunt; conquaſſare poſſit,non dubitamus. Cæterùm cum duo ſint genera Terræmotuum : ac vnum quidem genus ſit quaſi tremor : alterum autem ſit quaſi pulſus: animaduertendum eſt Terræmotum illum, qui eſt quaſi tremor,ſæpius fieri: eum autem, qui eſt quaſi pulſus, perraro exoriri, quum ſurſum & deorſum terra agitatur. Animaduertendum eſt quoque ventos non eſſe particulares ſic,vt vnam aliquam vrbem,aut partem regionis alicuius permeent: niſi quum ventus & flatus,ſiue πνοὴ inſolito more exi-
Act. cap. ſtit à Deo opt. max. cuiuſmodi fuit il-
2. v. 2. le quaſi flatus, qui die Pentecoſtes factus eſt:Terræmotum autem particularem eſſe poſſe ſic,vt vna duntaxat particula regionis alicuius concutiatur, cuiuſmodi Terræmotus Baſileæ Rauracorum bis noſtra memoria factus eſt.Præterea obſeruandum eſt, vnà cum Terræmotu interdum κατακλυσμὸν,ſiue inundationem accidere: atque vtriuſque, nempe tum Terræ-

motus,

motus,tum etiam inundationis ventos contrarios cauſam afferre. Nam cùm ventus is, qui terram mouet & concutit, alterum ventum cõtrariũ, quo mare agitatur, repellere non poſſit, neceſſe eſt magnam vim & quaſi montem quendam aquarum accumulari, ac ſuperante vento illo, quo mare pellitur, inundationem fieri. Adhuc animaduertẽdum eſt, quum ingens Terræmotus factus eſt, qui ad plures regiones longè lateque pertinuerit, ventos illos interiores, qui cauſam Terræmotus afferunt, non ſemel quatere, ſed primùm ad dies vſque quadraginta, deinde ad vnum annum, & ad biennium etiam iiſdẽ in locis Terræmotum portendere & denunciare. Quemadmodum enim pulſus præter naturam in corporibus noſtris non ſtatim, ſed ſenſim vnà cũ morbo deſinunt: ita etiam venti neceſſariò quatiunt terram, quoad horum reliquiæ conſumtæ ſunt: quamquam in progreſſu leuius id faciunt, eò vſque videlicet, dum id quod cau

ſam motus attulit, minus eſt, quam vt mouere poſſit. Atque hæc quidẽ de cauſa Terręmotus naturali & proxima. Sed cauſa hęc, vt dixi, Deo ſemper ſubiicienda eſt, vt ei tanquam cõditori, dictatori, & moderatori omnium ancilletur: non ſecus atq; particulares ſcientiæ doctrinæq́ue omnes Theologiæ ancillãtur. Sic Theologi: poëtæ ſancti, & Prophetæ Deo omnia illa opera admiranda tribuũt: vt in Pſalmo CXIIII. Quum egrederetur Iſrael ex Aegypto, & domus Iacob à populo barbaro. Iuda factus eſt eius ſanctuarium, & Iſrael ipſius imperium: quod quum mare vidiſſet, refugit, & Iordanis retrorſum repulſus eſt. Montes autem ſubſilierunt vt arietes, & colles vt agni ouium.

POSTREMÒ de Fine, ad quem omnia, quæcunque in cælo & terra fiũt, referenda ſunt: dicendum eſt. Diximus PRINCIPEM CAVSAM EFFICIENTEM, itémq; SVMMVM FINEM omnium rerũ eſſe Deum opt. max. Itaque Energiæ Dei extimæ omnes,

mnes, itémque omnia ſigna, quæ fiũt tum in cælo, tum in terra referenda ſunt ad Deum, tanquam ad finem ſummum. Oportet omnia ſubiici Filio, vt dictum eſt ſupra: Poſtquam verò ſubiecta fuerint ei omnia, tunc & ipſe filius ſubiicietur ei, qui ſubiecit ipſi omnia, vt Deus ſit omnia in omnibus. Quandoquidem igitur CHRISTVM oportet regnare, Vſquequo omnes inimicos ſubiecerit pedibus ſuis, ſequitur ſigna illa quæ tum in cælo tum in terra fiunt, piis liberationem, impiis verò & hoſtibus Dei exitium portendere. Sic enim nos docuit Chriſtus: Quum verò audieritis bella & ſeditiones, inquit, ne terremini: oportet enim iſta primùm fieri, ſed non ſtatim erit finis. Inſurget gens in gentem, & regnum in regnum: & magni Terræmotus erunt, & fames ac peſtilentiæ, & terriculamenta, & ſigna in cælo magna erunt. & paulò poſt eodem capite. Tunc erunt ſigna in Sole & Luna & ſyderibus: & in terra anguſtia gẽtium in cõ-

Ad Cor. 1. cap. 15. v. 28.

Luc. cap. 21. v. 9. 10. 11.

v. 25.

ſilii inopia, reſonante mari & ſalo.
v.28. Item: Quum autẽ hęc fieri incipiẽt, erigite & attollite capita veſtra, QVONIAM APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Ergóne, inquies, omnes illi, qui Terræmotibus opprimuntur & obruuntur, æterno exitio ſunt deſtinati? Abſit à nobis iſtiuſmodi temerariũ iudicium. Nam & memoria fratrum noſtrorũ Hybornenſium commendatur de pietate, humanitate, & hoſpitalitate. Quanquã Deus non ſine cauſa eos voluit Terræmotu obrui & opprimi. Proinde temerarii iſti iudices, qui iudicando de omnibus, quaſi Dei iudicis perſonam ſibi imponunt, meminerint eorum quæ reſpondit Chriſtus illis, qui annuntiabant de Galilæis, quorũ ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ipſorum ſacrificiis. Putatis hos Galilæos, inquit Chriſtus, præ omnibus Galilęis peccatores fuiſſe, quoniã talia paſſi ſunt? Nõ, dico vobis: Imò, niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis. Aut illòs decem & octo, ſupra quos cecidit

turris

turris in Siloam,& trucidauit eos, putatis debitores fuiſſe præ omnib⁹ hominibus, qui habitãt in Hieruſalem? Non,dico vobis:imò niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis. Quamobrẽ, quoniam diffiteri nõ poſſumus, quin innumeris modis Deum ad irã prouocemus,exemplis iudiciorum Dei commonefacti conuertamur ad Dominum, nóſque ipſi diiudicemus:abnegata impietate,& mundanis cupiditatibus temperanter & iuſtè & piè viuamus in pręſenti ſæculo:expectãtes beatam,illam ſpem,& illuſtrem aduentum magni illius Dei, ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Sic enim appropinquante redemtione noſtra, capita noſtra erigere,atque attollere licebit.

DIXI.

GRATIAS TIBI PATER CÆLESTIS PER IESVM CHRISTVM FILIVM TVVM, DOMINVM NOSTRVM.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE